

SCHOLA  
ORATIONIS,

*SIVE*

BREVIS METHO-  
DUS INSTITUENDI  
MEDITATIONEM

*Juxta*

Mentem S. P. Ignatij Funda-  
toris Societatis Jesu

AUCTORE

P. Casparo Mändl, Soc.  
Jesu Sacerdote.

*Cum Permissu Superiorum.*

Augustæ Vindelicorum,

Sumptibus Matthiæ Wolff, Bibliopolæ,  
A. 1722.






# PRÆFATIO

Ad studiosum Perfectio-  
nis Lectorem.

**M**ulta hinc inde dicuntur de magna utilitate Orationis mentalis seu Meditationis, utpote in qua præcipua sanctæ fidei nostræ mysteria cum Deo pertractantur, & per hanc ipsam cum Deo conjunctionem homo de terra in cælum sublevatus à defectibus & erroribus suis purgatur, ac omnis generis cælestibus donis ac gra-  
 A 2 tiis

tiis cumulatur. S. Augustinus  
 hom. 4. ex 50. non verecundatur  
 dicere: Verè novit rectè vivere,  
 qui rectè novit orare. S. Tho-  
 mas Villanovanus orationem  
 cum calore vitali comparat: Si-  
 cut enim calor naturalis ad cibo-  
 rum concoctionem plurimum con-  
 fert, vi cujus deinde succus vi-  
 vificus in omnia membra deriva-  
 tur, atque adeò totus homo in  
 suo robore conservatur, ita vir-  
 tute Orationis vigor Spiritûs in-  
 teger perseverat, quo influente  
 operationes spirituales exercen-  
 tur, tentationes triumphantur &  
 omnes adversitates cum merito  
 tolerantur. Utut autem hæc sint  
 verissima, multi tamen modum  
 orandi ignorantes avidè scire cu-  
 piunt, qua ratione Oratio insti-  
 tuenda sit, ut prædictarum u-  
 tilita-



tilitatum ex oratione redundan-  
tium fructum percipiant. Tam  
laudabili desiderio satisfacturi  
multi multa conscripserunt ac ty-  
pis ediderunt; quia tamen ple-  
raque magnis voluminibus com-  
prehensa sunt, quæ paucissimos  
emptores habent, aut methodo  
nimis subtili & altâ proposita,  
quæ a Doctis tantum legi &  
intelligi possunt, aut linguis pe-  
regrinis, quas plurimi non asse-  
quuntur, descripta, ideo opu-  
sculum hoc ob suam parvitatem  
facile comparabile, & propter  
scriptionis mediocritatem, in-  
telligibile, ac denique in Linguae  
Latinae universalitate ubique  
gentium lectorem reperiens, in  
hanc formam & modum rede-  
gimus, ut quilibet intellectus,  
non omnino rudis, praxin me-

ditandi possit addiscere, si modo suum Divinae gratiae conatum conjungere allaboret. Non te pœniteat, devote Lector, exigui temporis, quod in hac arte addiscenda impendis; cum ab eo pendeat animae tuae perfectio & salus denique aeterna.






## CAPUT I.

*Quid sit, orare?*

I. **S**ECUNDUM mentem S. Joānis Damasceni Oratio est elevatio mentis in Deum: quare illi non orant, qui verba quaedam ore proferunt, cogitatione autem in Deum defixa non sunt. Contra hujusmodi queritur Deus apud Isaiam c. 29. *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me.* S. Augustinus de natura Orationis ita sentit. Oratio est locutio ad Deum. Cùm librum legis, qui de rebus ad salutem spectantibus tractat,

Deus tecum loquitur; cùm autem oras, loqueris tu cum Deo. Unde illi facilè intelligent, quem ex oratione fructum habeant, qui sub ipsa oratione sua oculis circumvagantur, aut cogitationibus domestica aut alia negotiavolvunt. Quæ enim est hæc locutio? quotiescunque vir honestus cum altero fermocinatur, ambo attentis auribus auscultant, alter, ut convenienter & ordine sua proloquatur, alter, ut proloquentem assequatur & intelligat. Deus, cùm oras, attentus adest, tu autem ipsemet sæpè nescis, quid dicas, & minori cum reverentia Deum alloqueris, quàm hominem. Insignis Asceta Balthasar Alvarez pluribus Orationem describit: Orare, ait, est mentem ad Deum elevare, ei

omnia




omnia sua negotia cum fiducia & reverentia aperire, instar amici, qui amico sua omnia potest confidere. Ut hoc ritè fiat, oportet, ut orans in gratia Dei sit, & à peccato mortali liber, secùs orando parùm efficiet, siquidem oratio, quæ non ab amico sed inimico Dei fit, non audietur; nisi præcedente perfecta Contritione in statum gratiæ restituatur.

## CAPUT II.

### *De variis Speciebus Orationis.*

2. **O**Mni alia Orationis divisione transmissa, comunissimè duæ species Orationis considerantur, nimirum vocalis & mentalis. Orationis vocalis insignia specimina dedit Regius Psalter in Psalmis 150. in quibus variæ petitiones exprimuntur, &





multa ad Dei laudem proponuntur: unde etiam plerique in Horis Canonicis assignantur, quibus Sacerdotes & alii, ad illas recitandas obligati, septies de die Deum laudant ad imitationem hujus Prophetæ, & multimodis precibus invocant. Christus etiam modum orandi poscentibus Apostolis sanctissimam & efficacissimam orationem dictavit, quam ob verba initialia: Pater noster: appellamus. Ecclesia Dei Salutationem Gabrielis Archangeli verbis S. Elifabethæ conjunxit, & illi invocationem Matris Dei annexuit, quæ omnia, denominatione à principio desumpta, Salutationem Angelicam dicimus. Ex his duabus orationibus S. Patriarcha Dominicus, dictante ipsa Deipara, facrum


erum Rosarium contexit. Reperire etiam est plurimos libellos precatorios, in quibus variæ preces, Officia, ut vocamus, & devotiones continentur. Quæ omnia sub orationis vocalis titulo comprehenduntur, eò quòd ore pronunciantur, non tamen in sola linguâ nascuntur, sed vel maximè ab attento intellectu & devota voluntate procedunt.

3. Oratio mentalis, quæ propriè meditatio appellatur, est partus mentis, absque hoc quòd in linguam perveniat; quando nimirum potentia animæ occupantur in consideratione variarum veritatum aut eventuum, ex qua plurimi affectus ad laudem Dei ac virtutum exercitia, vitæ emendationem, peccatorum detestationem & hujusmodi ani-



mæ operationes elicituntur. Hæc ratio orandi incomparabiliter priorem excedit præstantiâ & utilitate sua, utpote quæ animam purgat, illuminat, & ad omnimodam perfectionem & sanctitatem perducit tanquam instrumentum ad omnia bona accommodatissimum. S. Propheta David de semetipso confitetur Psalmo 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* S. Basilius, magnus ille Spiritûs magister, in prima sua Epistola Meditationem appellat viam præcipuam ad indagandam Veritatem: nam qui Sacras litteras meditatur, ad omnis generis fundamentales Regulas dirigitur, qua ratione negotium salutis aggrediatur; manuducitur ad exquisita Sanctorum exem-

exempla, quæ tanquam Magi-  
 stri in Schola virtutis & exempla-  
 ria Sanctitatis proponuntur. Si-  
 mile quid mellifluus Doctor S.  
 Bernardus l. i. de Confid. c. 7. de  
 Oratione docet: *Ipsam fontem*  
*suam, id est, mentem de qua*  
*oritur, purificat Consideratio.*  
*Deinde regit affectus, dirigit a-*  
*ctus, corrigit excessus, compo-*  
*nit mores, vitam honestat, & or-*  
*dinat. Postremo Divinarum &*  
*humanarum rerum scientiam*  
*confert. Hæc est, quæ confusa*  
*determinat, hiantia cogit, spar-*  
*sa colligit, secreta rimatur, ve-*  
*ra castigat, verisimilia exami-*  
*nat, ficta & fucata explorat.*  
*Hæc est, quæ agenda præordi-*  
*nat, acta recogitat, ut nihil in*  
*mente resideat aut incorrectum,*  
*aut correctione egens. Hæc est,*  
A 7
quæ



*quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit.*  
Hactenus Bernardus.

### CAPUT III.

*Quid requiratur ad hoc, ut Oratio vocalis devotè & utiliter peragatur?*


**U**T hæc Oratio devotè & fructuosè instituat, decem omnino animadversiones sunt observandæ. Nimirum

4. Cum S. Augustino ad introitum Ecclesiæ omnia tua negotia, curas, & secuturos labores in angulum rejicere te oportet, ac dicere: hic nonnihil expectate me omnes meæ curæ ac negotia, ut sine omni vestra interturbatione possim vacare soli Deo meo. Cùm rediero, resumam vos. Volo dicere: *Quicumque*

eunque orare vult, mentem suam ab omnibus aliis rebus debet abstrahere, ut omnimoda quiete fruatur, secùs erit impossibile, ut non identidem preces tuæ interrumpantur.

5. Dein collocabis te in Dei præsentia innitendo illi fidei articulo, quo credis, Deum omnia scientem te videre & audire, tibi que assistere illum, quocum loqui velis.

6. Ex hujus præsentiaë recollectione sequetur constitutio corporis externa ad omnem reverentiam composita. Licet enim in omni loco orare possis, sedens aut stans, jacens aut flectens, longè tamen convenientius est illum situm eligere, qui ad orandum accommodatior, devotior, & demissior videtur; si tamen iis



viribus polles, quibus possis. Omnium decentissimus orandi situs genuflexio habetur. Quòd si etiam circumstantiæ permittant, ut manus eleves, aut brachia expandas, plurimum devotionis orationi tuæ accrescet. Paucis: cogita, te coram summo cœli & terræ Monarcha verifari.


7. His ita constitutis intentionem tuam forma, quare, & ad quem finem velis orare: in tua enim est potestate, vel pro temetipso, vel pro alio preces tuas offerre. Circa istam intentionem ritè præmittendam non obliviscaris obligationum tuarum; siquidem pro uno & altero magis, quàm pro aliis orare teneris, scilicet pro parentibus, magistratibus Ecclesiasticis & Sæcularibus.

cularibus, cognatis, Benefactoribus & hujusmodi.

8. Insuper ne oratio tua sine fructu sit, breviter perfectam Contritionem & peccatorum tuorum detestationem elice, peccatus percute, veniam à Deo pete, & seriam vitæ emendationem sponde cum proposito, proxima occasione syncerè omnia confitendi.

9. Ut ut autem in potestate tua sit intentionem quamcunque orationi præmittere, ita tamen illa constituta sit, ut petitiones tuæ cum Divina voluntate penitus conformentur, dicendo: Domine hoc & hoc peto abs te, si tamen Divinæ voluntati placitum, ad meam & eorum, pro quibus oro, salutem proficuum sit. Sæpius enim orantibus dici  
posset:





posset: nescitis, quid petatis.


10. Cùm oras, non prope-  
ra, sed omnia verba accuratè  
pronuncia. Magis est meritoria  
una Precatio Dominica, quæ  
cum mora & attentione dicitur,  
quàm viginti & adhuc plures quæ  
præcipitanter, ex consuetudine,  
& inutili desiderio multas dicen-  
di deproperantur. Quando An-  
geli orationes nostras Deo offe-  
runt, uti ex multis textibus sa-  
cræ Scripturæ patet, optarem  
te huic oblationi præsentem, ut  
videres, quàm multæ Orationes  
Dominicæ & Salutationes Ange-  
licæ non offerantur, tanquam  
indignæ, quæ conspectum Dei  
subeant, psittaci magis voces,  
quàm hominis orantis.

11. Hæc ipsa in orando mo-  
ra juvabit orantem, ut faciliùs  
cor

cor & animum cum verbis conjungat, nisi sponte velit ad alia divagari. Neque enim sufficeret cum mora dicere: Pater noster, qui es in cœlis &c. si interim cogitares: quid facient interim domestici mei? Sola enim labia cum Deo loquerentur, non autem cor. Faciliùs tamen cogitationes assequentur sensum verborum, quando hæc articulatim pronunciantur.

12. Ut ab evagationibus sis liberior, studiosè occasiones devitabis, quæ orationem tuam disturbare possunt, præcipuè oculorum & aurium, omnia scire volentium, quæ in templo occurrunt.

13. Denique debebis in oratione perseverare, ad instar illius, qui ad fores amici sui non desti-



destitit pulsare ac orare, donec desideratos ab illo panes obtinuit. Ad hanc in orando perseverantiam plurimum conferet magna in Deum fiducia, quòd Deus ea, quæ petis, tibi collaturus sit, si ad animæ tuæ salutem fuerint necessaria. Quotiescunque igitur Oratio tua talis non est, qualis esse deberet, una aut altera ex tui causa labem asperget.

#### CAPUT IV.

*De facili admodum, & multum utili modo Orationis mentalis seu Meditationis.*


14. **S** Fundator noster Ignatius ad initium Exercitiorum Spiritualium agit de modo quodam orandi, quem vocat Secundum. Consistit autem in hoc.

Prinò. Elige situm, quem  
ad

ad quietem animæ tuæ accommodatiorem putas. Sede aut sta, ambula aut flecte, & dein cogita, quò & ad quem iturus sis, quocum loqui & salutis tuæ negotium tractare velis.

15. Deinde præmitte orationiunculam aliquam præparatoriam, directam ad illam Personam, ad quam oratio, quam meditaris, tendit, & per illam vel ab illa gratiam pete, quâ in oratione instituenda bene possis progredi, & utilem animæ tuæ fructum excerpere. Deinde

16. Flecte, aut sede, prout tibi ad devotionem magis commodum est, claude oculos, aut ad certum locum defixos tene, mox Orationem Dominicam incipe. In primo verbo: Pater: tamdiu te detine, quamdiu boni  
ali-



aliquid tibi incidit. Elice convenientes cogitationibus his affectus, & postquam pharetra cordis tui quasi exhausta est, procede ad alterum verbum, & tertium, ac sic deinceps in hac & aliis orationibus.

17. Post quadrantem in tali oratione expletum, aut spatium longius, totam orationem Dominicam recitando absolve, adde Salutationem Angelicam &c. & alias preces.


18. Quod si contingat, totum tempus in uno verbo effluere, sollicitus non esto de verbis cæteris, sed prædicto modo orationem tuam claude: erit tempus, quo reliqua simili modo expendas.

19. Denique cùm tempus, quod à te prædefinitum est, fuit  
exple-

expletum, illam Personam, ad quam tuam orationem direxisti, paucis verbis alloquere, certam ab ea virtutem pete, aut aliam gratiam, quam tibi putas maxime esse necessariam. Ut autem haec tibi clariora fiant, partem aliquam Orationis Dominicæ ob oculos ponam juxta instructiones sex positas. Et quidem

20. Juxta primam: Quid ago? Ibo ad Deum, Patrem meum coelestem, loquar ipsi, desideria mea exponam, & petitionem secundum doctrinam Christi Redemptoris mei proponam.

21. Juxta secundam. Sit igitur o Pater æterne, in cujus conspectu genua mea flecto, excita memoriam meam, illumina intelle-




tellectum, voluntatem meam  
 inflamma, ut toto corde te lau-  
 dem, necessitates meas exponam,  
 ita negotium salutis meæ cum u-  
 tilitate & fructu transigam! da  
 mihi tuam gratiam!

22. Juxta tertiam. *Pater!*  
 O quanta mea felicitas! quòd  
 Pater meus esse velis! quòd Pa-  
 trem te meum nominare possim!  
 habeo in Te Patrem Omnipoten-  
 tem, à quo omne possum au-  
 xilium sperare. Terrenus Pater  
 meus ipsemet pauper & inops  
 homo est, qui sine te nihil mihi  
 conferre potest, etiam cùm vel  
 maximè velit. Eundem mihi per  
 mortem abripi videbo, & ita ab-  
 reptus quam feret opem? Tu au-  
 tem semper permanes & poten-  
 tia tua nunquam deficit, & ideo  
 omnia, & omni tempore à Te  
 pos-

possum sperare. Pater! Si Pater meus es, ut Pater me amas, atque ideo non tantum omnia mihi potes dare, sed ex paterno affectu vis & desideras mihi omnia dare. Pater! O si Pater meus es, hæres tuus sum; quæ est hæreditas mea? bona cœlestia, bona æterna, Tu ipse summum & infinitum bonum, in cujus fruitione beatus sum. Pater! ergo filius tuus sum, & idcirco mihi incumbit, ut Patri meo per omnia obediam, mandata illius perfectè observem, ad omnem nutum & beneplacitum ejus promptus accurram. O quàm crebrò hoc non præstiti! O Pater! ignosce mihi, verè non sum dignus vocari filius tuus, quia Te Patrem meum benignissimum offendi. Filius tuus sum? omni






jure obligor, Te ex toto corde diligere tam propter Te, quàm propter me. Propter Te, quia quidquid sum, à Te habeo; propter Te, quia Tu propter infinitam tuam Bonitatem infinito amore dignus es. Creâsti me ad hoc, ut cognoscam & amem Te. Omnino Pater mi! amo Te ex toto corde meo super omnia, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis &c. &c.

*Noster.* Cujus Pater es? nostrum omnium; omnes creâsti, nobiles & ignobiles; divites & pauperes, formosos & deformes, doctos & indoctos: omnes igitur fratres & sorores sumus. Si hoc? nulla inter nos invidia deberet esse, universalis inter omnes charitas & beneficentia exhiberi deberet &c. & quid agimus?  
quo-

quoties erga proximum meum  
me non ut fratrem exhibui?

*Qui es in caelis.* Si Pater meus  
in caelis est, etiam Coelum pa-  
tria mea est. Quare ergo ita ter-  
rae & terrenis affixus haereo? haud  
aliter ac si in omne aevum terram  
vellem incolere. Si Coelum Pa-  
tria mea est, centies ac millies  
Coelum suspicere me oporteret,  
& illuc omnia mea desideria ex-  
tollere. Unicum meum gau-  
dium in illis deberem quaerere,  
quae ad supernae meae patriae pos-  
sessionem promovere possent.  
O Coelum! o locus gaudiorum  
aeternorum! quam fordent mihi  
omnia in hoc terrae exilio, dum  
patriam meam aspicio! O Pater  
aeternae! age mecum in terris se-  
cundum omne beneplacitum tu-  
um, modò non à caelo excludas!




*Sanctificetur nomen tuum!*

Quid est, sanctificare? nihil aliud, quam laudare, extollere, & ubique gentium propagare. Quando igitur dico: Sanctificetur Nomen tuum: Oro & opto, ut Tu Deus meus agnoscaris, lauderis & in toto mundo adoreris, ut in Te omnes credant, omnes sanctissimam voluntatem tuam exequantur, quod ut fiat, da, ut & ego quoque operam meam impendam, & quidem omnium primò à me ipso incipiam, ut lauderis, ameris, & omni obsequiorum genere honoreris. Nunquid adhuc hodie aliquid ad tuum honorem, & Proximi utilitatem machinari valeo?

*Adveniat regnum tuum. Satis diu Cacodæmon per peccatum in nobis regnavit, quasi in regno*

regno suo; jam verò ô Deus tu  
 in nobis regna, & dominatum  
 tuum exerce in cordibus nostris,  
 ah! Rex esto in corde meo. Ad-  
 veniat Regnum tuum! cœleste  
 nimirum appropinquet nobis, ut  
 Te Regem gloriæ videre, lauda-  
 re, & amare possimus. Quid  
 sunt omnia regna terræ, nisi par-  
 va quædam lacinia? quid est Im-  
 perium mundi, nisi quoddam  
 somnium, ex quo vigilantes A-  
 matores mundi nihil inveniunt  
 in manibus suis, quàm vanita-  
 tem, fumum & magnum dolo-  
 rem? Tuum autem Regnum est  
 regnum sæculorum, regnum san-  
 ctum, regnum felicitatis æternæ.  
 Ah! Regnum hoc adveniat no-  
 bis, ut tecum æternùm regnare  
 & in tua potentia gaudere possi-  
 mus. Ad hunc modum etiam



reliqua Orationis Dominicæ verba expendi possunt.

23. Juxta quartam. Fiat voluntas tua, sicut in coelo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie &c. Ave Maria &c.

24. Juxta quintam. Usque ad tertiam petitionem perveni, proximè pergam ad reliquas.

25. Juxta sextam. Concludo nunc, Pater æterne, Orationem meam, da mihi gratiam, ut me semper obsequentem tibi filium exhibeam. Esto misericors Pater meus, & si quando me non, ut filium decet, erga Te geram, ocyùs me Paterna correctione flagella & per hanc obligationis meæ me comonefac. Ah! Pater cœlestis adjuva me, ut in cœlesti Patria Tibi jungar, & ibi,  
ubi

ubi Pater est , etiam sit filius.  
 Honorabile Nomen tuum per  
 totum mundum glorificari desi-  
 dero , ita ut omnis Creatura ra-  
 tionalis Te agnoscat , laudet &  
 amet ! & hac ratione Regnum  
 tuum in omnium hominum cor-  
 da adveniat. Amen.

Hunc meditandi modum  
 omnium convenientissimum  
 cenfeo iis , qui capaces non sunt  
 multi discursûs , quo ordinatè in  
 rei alicujus veritatem inquirant.  
 Non est nuda & simplex Oratio ,  
 sed , si ritè peragatur , magnum  
 ad vitæ emendationem , virtu-  
 tum implantationem , & omnium  
 bonorum incrementum est  
 medium.

## CAPUT V.

*De natura & proprietatibus Orationis, quæ propriè meditatio appellatur.*

26. **M**editatio, præterquam quòd sit oratio, etiam instrumentum est ad extirpationem scelerum, purgationem animæ, acquisitionem virtutum, & Conjunctionem cum DEO. Hoc obtinetur per studiosum usum trium Animæ Potentiarum, Memoriam nimirum, Intellectus & Voluntatis. Memoriam beneficio recordatur homo Divinarum perfectionum, æternarum fidei Veritatum, Beneficiorum Dei, & exemplorum, quibus Christus & Sancti, Christi Imitatores nos instruunt & ad sequendum invitant.

27. Quæ

27. Quæ à memoria nobis proposita fuerunt, Intellectu expendimus, & agnoscimus obligationem nostram erga Deum & Proximum. Inspicimus exemplar, juxta quod vitam nostram conformare debeamus; venimus in cognitionem defectuum nostrorum; ad omnis generis opera virtutum incitatur &c.

28. Voluntas denique omnibus ritè per Intellectum propositis mota varios affectus elicit, bona facit proposita &c. nam ex hujusmodi cognitionibus sequitur dolor de peccatis, poenitudo de ingenti ingratitude; humiliatio coram summa Dei majestate; Desiderium Deo placendi per varia bona opera & exercitia virtutum; Spes, fiducia, & Amor erga Deum; denique lau-

B §


datur,



laudatur, adoratur & multa ferventer oratur Deus.

29. Ex his colligitur ingens discrimen inter orationem & orationem: recitatur quidem etiam cum devotione Rosarium, & per illud gratia aliqua petitur; Oratio autem quæ ad Deum funditur post insignem Dei cognitionem, sui humiliationem, vivam fidem, firmam spem, inflammatum amorem, depuratum cor, & exornatum virtutibus animum &c. multis illam parafangis excedit.

30. Quare cum hæc meditando ratio præcipuus hujus Opusculi scopus sit, singulas ejus partes seorsim proponemus. Sunt autem hæ: 1. Præparatio. 2. Collocatio sui in præsentia Dei. 3. Oratio præparatoria. 4. Præ-ludia.




ludia. 5. Exercitium memoriæ.  
6. Exercitium Intellectûs. 7. Ex-  
ercitium Voluntatis. 8. Brevis  
clenchus variorum affectuum.  
9. Colloquium. 10. Reflexio in  
factam meditationem. 11. Me-  
moriale. 12. Annotatio fructûs.

## CAPUT VI.

### *De Preparatione ad medita- tionem.*

31. **U**T tota hæc tractatio cla-  
rior evadat, certam me-  
ditationis materiam assumemus,  
& in illa omnes duodecim assi-  
gnatas partes exhibebimus. Ma-  
teria hæc erit Oratio & sudor san-  
guineus Christi in monte Oliveti.  
Quomodo igitur instituenda erit  
ad hanc materiam expendendam  
preparatio? Venator crastino  
mane in silvam exiturus cogitat:  
B 6 cras



eras venabor, & quidquid mihi occurrerit, globo trajiciam. Non ita tu. Si enim dixeris: cras meditabor. Jam occurret mihi aliquid boni, unde fructum potero capere; tentabis quasi Deum: sed materiam meditationis non nihil debes prævidere, in puncta distribuere, & dicere: In monte Oliveti meditabor.

32. Primò: Christus obrui se passus est à Tristitia gravissima: Tristis est anima mea usque ad mortem.


33. Secundò: Quò vehementiùs eum tristitia & angor invaserunt, eò ardentius ipse oravit: in Agonia prolixius orabat.

34. In tota hac oratione voluntatem suam voluntati æterni Patris sui plenè subjecit: Verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua.

35. Ma-

35. Materiâ in hunc modum distributâ percurrere non nihil singula puncta & prævide, quales circiter affectus inde possent elici? Exempli gratiâ ex puncto primo Tristitiæ Christi, quam ei peccata hominum & inter hæc etiam tua, & consequens inde mors causârunt, orietur odium peccati, dolor de peccatorum multitudine & gravitate, humilis deprecatio, Propositum non amplius peccandi, depositio omnis alterius tristitiæ, quæ non est de peccato.

In secundo puncto erubesces tuam imbellem inconstantiam, ex qua fit, ut illico desistas, & pusillanimis fias, quamprimum consolatione destitueris & non omnia ad votum fluunt. In tertio puncto te dispones ad omni-



modam voluntatis tuæ cum Divina conformationem, absque ulla exceptione.

36. Ut autem in una meditatione omnia ad unum scopum tendant, interrogabis te: quid quero per istam meditationem, quid intendo? Ad hanc interrogationem respondebis: In ista meditatione quasi in speculo videbo, quem modum tenere debeam juxta exemplum Christi, si quando in gravem afflictionem incidam.

37. His ita dispositis omnem operam impende, ut his cogitationibus inmorans obdormiscas: & à somno evigilans statim iterum easdem cogitationes reassumas, quibus fiet, ut animus tuus totus repleatur sanctis de futura meditatione representationibus:

om-

omnem tamen capitis defatigationem evita.

38. Denique cum scopum principalem meditationum tuarum tibi statuis, ante omnia tuas semper necessitates considera. Quære igitur ex te: Quid omnium maximè mihi deest? qualem peccatum aut defectus maximam in via virtutis molestiam mihi creat? Cuinam virtuti juxta exigentiam status mei omnium primò operam dare me oportet? Hæc ubi ex sincera tui cognitione inveneris, erunt ante alia meditationū tuarum scopus.

CAPUT VII.

*Qua ratione se quis possit statuere in presentia Dei?*

39. **T**Empore ad inchoandam meditationem præfixo  
sta



sta in loco opportuno, & cogita: quid jam faciam? coram quo comparebo? Orare volo, volo Domino Deo meo loqui, & considerare, qua ratione sanctam suam Passionem occæperit in monte Oliveti. Sum in oculis Dei, Deus præfens videt & audit me, omnes cogitationes & desideria mea sunt ipsi notissima, in Deo sum, & Deus est in me, & plus quàm piscis aquâ undequaque Deo circumdatus sum. Proinde decebit, ut omnes alias cogitationes & negotia seponam, & hac hora in Te solum respiciam. Conveniens erit, ut internam & externam reverentiam, corporis & animæ compositionem summæ tuæ Majestati exhibeam.

40. Majorem alii, alii minorem difficultatem habent cogitandi,

tandi, se in præsentia Dei versari; & ideo varias sibi similitudines & figuras construunt, quibus sibi Deum præsentem statuunt, ut Lucis infinitæ, Regis Christi in Cruce pendentis & hujusmodi. Verùm modus omnium facillimus & securissimus est eorum, qui actum fidei eliciunt, dicendo, aut cogitando: Domine! firmissimè credo, quòd tu sis immensus & omni loco præsentissimus Deus: & hoc ipsum contestaturus adoro Te præsentem Deum, & genua coram Te flecto.

41. Finis hujus in Divina præsentia collocationis summè necessarius est ante omnem orationem, siquidem qui præsentia Dei recordatur, cum majori longè attentione, reverentiâ, fervore & devotione orat. Unde  
 etiam



etiam in ipso orationis decursu  
divinæ præsentia memoria reno-  
vanda est, si tepor aliquis, aut  
distractio irrepat.

## CAPUT VIII.

### *De Oratione Præparatoria.*


42. **I**N Divina præsentia consti-  
tutus Deum invoca com-  
muni & ordinaria aliqua oratio-  
ne, ut auxilium tibi ad meditan-  
dum largiatur. Forſan non di-  
ſplicebit hymnus Eccleſiæ ad S.  
Spiritus :

Veni Sancte Spiritus, & emitte  
cœlitus

Lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum, veni  
Dator munerum,

Veni Lumen cordium.



Consolator optime, dulcis Ho-  
spes animæ,  
Dulce Refrigerium.

In labore Requies, in æstu  
Temperies,  
In fletu Solatium.


O Lux beatissima, reple cordis  
intima  
Tuorum Fidelium.

Sine tuo Numine nihil est in  
homine,  
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum, riga  
quod est aridum,  
Sana quod est faucium.

Flecte, quod est rigidum, fove  
quod est frigidum,  
Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confi-  
dentibus,  
Sacrum Septenarium.



Da virtutis meritum, da salutis  
exitum,  
Da perenne gaudium.  
Amen.

Oramus Te Domine, infunde  
cordibus nostris per Spiritum  
Sanctum tuum Sapientiæ tuæ lu-  
men, ut Te veraciter agnosca-  
mus, & fideliter diligamus, per  
Christum Dominum nostrum.  
Amen.

## CAPUT IX.

### *De Præluudiis.*

**F**inita Oratione Præparatoria  
propius acceditur ad Medi-  
tationem, & aspicitur quasi in  
brevissimo compendio expen-  
denda veritas, id quod subinde  
in duobus subinde tribus Prælu-  
diis consistit.

43. Quando meditatio in-  
stitui-

stituitur de aliquo facto aut historia, ut de Vita Christi aut Sanctorum, tria sunt præludia. Primum repræsentat aliquam enarrationem Historiæ. In Meditatione de actis in monte Oliveti paucis recogita, quomodo Christus cum suis discipulis hunc montem ascenderit, ibi discipulis expectare jussis seorsim abierit, inceperit orare, mœstus esse, sanguinem sudare &c.

44. Secundum Præludium exigit, ut meditans aliquantum sibi imaginetur constitutionem loci. Sic in meditatione Oliveti depinge tibi nonnihil montem, locum, in quo Christus ad orationem procidit, Christum modò elevatis manibus, modo expansis brachiis, modò vultu in terram inclinato, modò sanguineo sudore perfusum &c. Ter-



Tertium Præludium continet petitionem gratiæ, quam per sequentem meditationem obtinere sperat meditans. Ut in meditatione de Oliveto dic corde aut verbo: Domine Jesu gratiam tuam mihi largire, ut in hac meditatione agnoscam magnam angustiam & tristitiam, ut inde intelligam, quâ ratione & ego in omni afflictione mea debeam me conformare cum Divina voluntate, & cum omni patientia in eadem conformatione usque ad finem perseverare.

45. Quando autem meditatio non instituitur de facto aliquo historico, sed de aliqua doctrina, veritate aut incorporea re aliqua, ut de peccato, morte, Sententiâ Scripturæ, aut libelli cujusdam pii &c. duo tantum sunt

sunt præludia. Primum requirit aliquam imaginationem rei, quam sibi fingit meditans de re aut veritate, quæ est objectum meditationis, ut cum meditaris de peccato, cogita, te videre jacentem hominem in terra, à latronibus lethaliter vulneratum; aut hominem manibus & pedibus ligatum. Cum de morte meditationem paras, cogita, te assistere lecto morientis, & videre, quomodo paulatim deficiat, colorem amittat, verba detruncet, frigidum sudorem emittat, & denique spirare desinat. Si gnome quædam spiritualis expendenda est, qualis est doctrina Christi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me: repræsenta tibi Christum

Cru-

Cruce oneratum, & ingentem hominum multitudinem, quæ tota crucem bajulans ipsum sequatur.

46. Secundum Præludium prorsus simile est tertio supradicto: debet nempe peti gratia, quam quis sibi in meditatione obtinendam præfixit. In meditatione de Peccato dic: Domine da mihi gratiam, ut agnoscam magnitudinem, deformitatem & damnum peccatorum meorum, ut ea odio habeam, detester, feriâ pœnitentiâ deleam, & omni conatu fugiam. In meditatione de Morte dic: Domine Deus da mihi gratiam, ut agnoscam certitudinem & incertitudinem mortis, & sic me præparem ad bonam & felicem mortem. In meditatione Sententiæ illius à  
Chri-


Christo prolatae dic: O amantissime Redemptor, da mihi gratiam, quâ intimè animo imprimam felicitatem illorum, qui Te in via Crucis & abnegatione sui sequuntur.

In his præludiis advertendum est primò, illa debere omnino esse brevia, & quasi superficialis aspectus rerum considerandarum. Deinde bene notare debet meditans, illa fieri debere sine omni defatigatione & coactione Phantasiæ, ne caput lædat; quia hujusmodi imaginatio absolutè tam necessaria non est, ut sine hac meditatio impediatur: sed iis, qui in imaginatione rerum facilitatem habent, & sibi quasi ut picturam proponere possunt, adjumento est ad attentionem; dum virtute hujus

C

ima-





imaginationis, rei quam meditantur, quasi personaliter interfunt.

## CAPUT X.


*De prima animæ Potentia, quæ est Memoria.*

47. **Q**Uæ hætenus allata sunt, ingressum parant ad ipsam Meditationem. Jam verò ipsam ordimur Meditationem, & quidem ab exercitio Memoriae. Pro materia denuo accipimus acta in monte Oliveti, & in iis Memoriam exercemus: Consideremus nimirum, quomodo Christus, suarum Passionum Dominus, Passioni Tristitiæ omnem licentiam permiserit in se faciendi, & totum amaritudinum ac angustiarum mare effundendi, ita quidem, ut Tristitia hæc, nisi

nisi Divina virtute vitam suam sustentâisset, certissimam illi mortem attulisset. Et unde hæc immanis tristitia? unde mortalis hæc angustia & agonia?

Primò ante oculos sibi ponebat vivacissimam omnium tormentorum, verberum, vulnorum & dolorum repræsentationem, haud aliter, ac si ea omnia actu pateretur, ac cum ipsa morte luctaretur.

49. Deinde oculis suis exhibebat omnia omnium hominum peccata à prima mundi Creatione usque ad novissimum ejusdem diem patrata atque patranda. Hic peccatorum aspectus omnino horribilis fuit; siquidem Christus malitiam & immanitatem peccati clarissimè agnovit, & quàm grandis injuria in Patrem suum



suum æternum ac totam Sanctissimam Trinitatem redundaret, penitissimè perspexit.

50. Tertiò Tristitiam Christi vehementer auxit illa prævidentia, quòd amarissima sua Passio & intensissimus Amor in multis hominum millibus omni fructu & effectu essent carituri. Hæc & hujusmodi plura de primo puncto per exercitium Memoriae possunt cogitari, ac deinde ad exercitium Intellectûs procedendum est, id quod in sequenti capite statim ab initio explicabitur, ac deinde ad exercitium voluntatis numero 71.

51. Ad Punctum secundum primo per intellectum & voluntatem bene expenso sic memoria exercenda est. Christus in abyfso tristitiæ relictus ab oratione  
non

non destitit. Nunc brachia sua in coelum extenderit; nunc coram aeterno Patre suo usque ad terram se projecerit; nunc surrexerit & decussatis circa pectus brachiis sursum ingemuerit. Naturale tædium, Tristitia, & angor omnem illi in orando consolationem & dulcedinem ademerint &c. his tamen omnibus non obstantibus orationem suam non interrupit, sed ad ultimum usque temporis præstituti minutum eandem est profecutus, & ter ad cœlestem suum Patrem resignationem suam contestatus. Ab ista memoriæ repræsentatione illico gradum facias ad exercitium Intellectûs illo modo, quo in capite sequente ad punctum secundum doceberis; & ab intellectu progredere ad voluntatem, &



hanc exerce juxta Capitis duodecimi n. 77. instructionem.

§ 2. Punctum tertium Memoria sic exhibebit. Christus bene sciens, nihil sibi à Patre suo æterno negatum iri, si aliquid determinatè & absque ulla conditione esset petiturus, ita tamen orationem suam instituit, ut voluntati Patris sui æterni plenissimam relinqueret libertatem. Petitio illius ex naturali ad vitam amore & contra mortem horrore ortum habuit. Ut naturali huic instinctui aliquid daret, institit apud Patrem suum æternum, ut instantem sibi crudelissimam mortem averteret: quia tamen Voluntas Patris, ejusdèmq; executio immensum prævalebat naturali horrore, hunc Divinæ Voluntati perfectissimè subjecit, ac dixit:

dixit: Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat: in qua subjectione summa perfectio consistit: nam cum Voluntas Dei sapientissima, perfectissima ac sanctissima sit, etiam voluntas hominis sapiens, perfecta ac sancta evadit, quando se cum Divina voluntate conformat. Perge jam ad Intellectum n. 66. & Voluntatem n. 82.

Hoc Memoriae exercitium non debet esse prolixum, cum finis illius tantum sit, Intellectui materiam proponere, ex qua discursum formare, doctrinam eruere, & varia proposita procreare queat.

## CAPUT XI.

*De secunda Animæ Potentia, quæ est Intellectus.*

53. **P**ostquam Memoria rei sc-


riem Intellectui proposuit, incipit Intellectus hujusmodi mysterium aut Veritatem expendere, quid consideratu, & imitatu dignum sit. Plurimum autem interest meditantis, ut hac in parte serio se applicet, cum fieri non possit, ut homo inflammetur & intimè commoveatur, nisi per causas maximè rationabiles & clarissimas quasi compellatur & convincatur. Quomodo Viator audacter & absque timore viam profectetur in spissis noctis tenebris? quando autem Luna viam illustrat, aut præeuntem facem sequitur, absque mora iter suum profectetur. Voluntas nostra cæca est, & in tenebris; Intellectus ei facem præferre debet. Ut igitur voluntas officio suo fungatur, & cum gaudio faciat, quod

quod justum est, Intellectus ei clarè indicare debet, quæ obligatio illius sit, & justitia requirat.

§ 4. Plurimi autem sunt, qui in hoc Intellectûs exercitio admodum steriles sunt, & nihil frequentiùs queruntur, quàm illico se in fundo hærerere, ineptos ad discurrendum. Hi ignorantia laborant, putantes, requiri sublimes inventiones; cùm plùs non requiratur, quàm ut simpliciter inquirent, quomodo ex materia, quam meditantur, discant bene vivere & vitam suam emendare. Quare ut in isto Intellectûs exercitio faciliùs progrediantur ad quinque capita seu interrogationes respondere studeant.

§ 5. Quæstio prima sit: Quid possum ex hoc factò vel doctrinâ discere? Secunda: Quam cau-





sam & obligationem habeo hoc  
& hoc faciendi? Tertia: Quo-  
modo haec in hac in parte me  
gessi? Quarta: Quomodo in po-  
sterum juxta hanc agnitam do-  
ctrinam potero vitam meam in-  
stituere? Quinta: Quænam me-  
dia, occasiones & adjumenta ad  
ipsum obtinendum habeo? Quin-  
que has quæstiones ad primum  
meditationis nostræ punctum  
nunc applicemus.

### §. I.

*Quinque quæstiones ad facilitan-  
dum Exercitium Intelle-  
ctus explicantur.*

56. Quæstio I. Quid pos-  
sum discere ex tristitia Christi?  
Possum discere, quòd unica cau-  
sa totius tristitiæ & Passionis Chri-  
sti fuerit Peccatum; & ideo de  
nul-

nulla re tritari debeam, quàm  
 de peccato; quòd per peccatum  
 Deus offendatur, & hæc Dei of-  
 fensio Christo tristitiam attulerit,  
 cujus ego per mea peccata causa  
 fui; & ob hanc ipsam causam  
 Christi tristitiæ meam quoque  
 tristitiam jungam propter pecca-  
 ta mea & Dei offensas. Imò ti-  
 mere me oportet, ne ob pecca-  
 ta mea in numerum illorum re-  
 digar, quibus Passio Christi fru-  
 stra & absque fructu fuit impensa.  
 Præsertim verò cùm ad Sacram  
 Confessionem accedendum est,  
 peccata mea dolore quantum  
 possum intenso deflere allabora-  
 bo, cùm sint malum malorum  
 omnium maximum & detestabi-  
 lissimum. Sequitur n. 72.


17. Quæstio secunda. Quam  
 ego causam habeo hoc faciendi?

Nemo causam graviozem triftandi & peccata fua dolendi habet quàm ego: Ego enim, quia Chriftianus fum, à Deo tot gratiis locupletatus, tot beneficiis cumulatus, tam clara luce illustratus prorfus peccare non debuiffem. Deus fe mihi Patrem exhibuit, ego autem me non exhibui filium. Deus Dominus meus ad fua obfequia me fibi fervum accepit; mercedem æternam pollicitus; ego autem partes fervi penitus non explevi; voluntatem illius cognovi, fed non feci; & ideo meritus fum vapulare multis. Sequitur n. 73.

58. Quæftio tertia. Quomodo hætenus hac in parte me gelfi? Malè prorfus. Rem exiguam perdidi, & vehementer triftatus, quin & in lacrymas folutus

lutus fui, sed propter peccata mea lacrymatus sum nunquam, nunquam animo tristitiam concepi. O quantum indolui, cum apud Superiores meos aut Dominos ob lapsum aliquem meum gratiam aut favorem perdididi! diu noctuque quietem capere non potui, quousque illos mihi reconciliatos habui. Quod autem Dominum maximum & bonum sumum offenderim, non admodum dolui, nec adeo sollicitè in ejus gratiam recipi quaesivi. Sequitur n. 74.

59. Quæstio quarta. Quâ ratione in posterum me emendabo? Quoties peccatorum meorum recordabor, ducto ex imo pectore gemitu cor meum percutiam & cum filio prodigo dicam: Pater! Domine! non sum dignus



dignus vocari filius, servus tuus. Nullius rei causâ imposterum contristabor, nisi folius peccati; omnia enim alia quæ peccatum non sunt, malum non sunt, solum autem peccatum est maximum malum, quia Dei mei amantissimi offensio est. Sequitur n. 75.


60. Quæstio quinta. Quænam media, & occasiones habeo ad utilissimam istam tristitiam? abunde satis: quotiescumque enim Salvatorem meum aspicio vel in monte Oliveti sanguineo sudore madentem, aut flagellis cæsum, vel spinis coronatum, vel aliâ tormenta patientem, causas utique tristandi maximas habeo, cum omnium illorum dolorum causa sim? Dum quotidie video, me peccare, an non doleam?

leam? an non contrister, quòd finem non faciam Deum meum offendendi? Quando video & audio, quamplurimos alios peccare, utique commoveri me oportet, quòd Dominus meus & Deus meus offendatur? His ita perpensis gradum fac ad exercitium voluntatis n. 76.

## §. II.

*Quinque questiones proponuntur pro secundo puncto in exercitio intellectûs.*

61. Prima. Quid possum discere ex hoc, quòd Redemptor meus instante agonia & intensissimâ tristitiâ prolixius & ferventius orationem suam profecutus sit? Certè docet me, quomodo in adversitate, afflictione, ariditate Spiritûs &c. me debeam gere-



re: scilicet quomodo à meis bonis propositis, ab oratione & devotione, à regulis veræ Sanctitatis nullatenus desistere, nihil ex animi tædio omittere debeam. Verbo: Exemplum Christi exprobrat mihi meam inconstantiam, dum nihil volo agere, nisi gaudium & consolationem inveniam. Hac enim ratione non tam Deo propter Deum, quàm propter me servirem. Sequitur n. 77.

62. Quæstio secunda. Quam causam habeo hoc faciendi? causa principalis est, quòd nihil mihi possit contingere absque præscientia & voluntate Dei. Quando igitur Deus hoc aut illud mihi immittit, cum gratiarum actione & libenter id acceptare me oportet. Deinde si Deus Pater innocen-

nocentissimum & dilectissimum  
 Filium suum propter peccatum,  
 quod nos perpetravimus, tam  
 durè habet, quid nos conquera-  
 mur, qui hæc, & longè plura,  
 imò ipsum infernum subire de-  
 buissemus? Denique si à bono  
 desistimus, & ex tædio consueta  
 devotionis opera negligimus, cui  
 nocemus? Deo non, sed nostram  
 causam semper facimus deterio-  
 rem. Consultius utique est, si  
 toleremus omnia cum nostro  
 merito, & sustineamus Domi-  
 num. Sequitur n. 78.

63. Quæstio tertia. Quo-  
 modo hac in parte hæctenus me  
 gessi? pessimè. Citò labori &  
 tædio succumbo; citò oratio-  
 nem nauseo; citò apud Deum  
 gratiâ me excidisse suspicor, & va-  
 riâ pusillanimitatis vertigine cir-  
 cum-



cumagor, subinde omnia abrum-  
po ac dico: frustra sunt omnia.  
Sequitur n. 79.

64. Quæstio quarta. Qua  
ratione possum ista in posterum  
emendare? Si Christum imita-  
tus fuero. Quò molestius tristi-  
tia aut afflietio me exagitabunt,  
eo ferventiùs orationi & aliis piis  
exercitiis instabo. Dumòdo sciã,  
hoc, quod ago, bonum esse, jam  
mihi satis erit, utut omnis conso-  
lacio & gaudium defuerint. Gau-  
diũ meum & consolatio mea erit,  
scire, quòd in Domini mei obse-  
quio occuper. Sequitur n. 80.


65. Quæstio quinta. Quæ  
media habeo ad hujus mei pro-  
positi executionem? nullum a-  
liud erit potentius, quàm quo-  
tidiana illius renovatio. Quam-  
primum manè surrexero, inter  
pri-

primas meas cogitationes hæc erit: Domine! nihil eorum negligam, quæ mihi amore Tui agenda proposui, quantum erit in viribus meis. Sæpiùs mihi ogeram hæc. aut similia verba: Deus tentat te, & expectat, an serena tantùm tempestate & ad panem candidum, an etiam turbidâ & ad panem atrum eidem servias. Dein progredere ad exercitium voluntatis n. 81.

### §. III.

*Quinque questiones ad punctum tertium in exercitio Intellectus declarantur.*

66. Quænam doctrina ex oratione Salvatoris mei haurienda est? Plena utilitatis, quæ in secentum alias complectitur, omnimodam nimirum resignationem




nem voluntatis meæ in Divinam. Peccata mea omnia, omnes meæ imperfectiones, omnis inquietudo & perturbatio cordis mei ex hac originem trahit, quòd non nisi meum sensum & voluntatem meam velim sequi: cum tamen voluntas mea ubique & semper impingat; voluntas autem Dei sapientissima & sanctissima sit, quæ errare non possit. Omnia, quæ Deus disponit, mihi placere debent, & si quando aliqua pro re precibus insisto, istam semper conditionem adjicere me oportet: Domine, non sicut ego volo, sed uti tibi placuerit, tu enim nôsti optimè, quid ad majorem nominis tui gloriam & meam sit utilitatem. Sequitur n. 82.

67. Secunda quæstio. Quam  
hoc

hoc agendi causam habeo? Omnium prima ac præcipua est, quòd Deus sit meus Dominus, Creator meus & omnia. Æquissimum proin est, ut ea faciam, quæ Dominus meus vult. Deinde solum illud bonum & justum est, quod Deus vult. Si ergo errare non volo, omnes meas actiones juxta Dei voluntatem peragere necessum habeo. Insuper me Deus diligit ut verus Pater, illud igitur malum esse non potest, quod amantissimus iste Pater mihi immittit; si tamen in utilitatem meam illud velim convertere. Denique rationi consentaneum est, ut illius voluntate accomodem, cui, utut omnium virium mearum nisum velim, refragari non possum?

Sequitur n. 83.




68. Quæstio tertia. Quomodo hac in parte hæctenus me gessi? Satis immorigerè: sæpius enim intra me murmuravi, sæpius questus sum, ratus, mecum agi duriùs; sæpius tantùm non Deo litem movi, quasi injuriâ mecum ageret supra meritum & vires meas. Sæpius ad orationem non confugi, aut in illa Deo leges præscribere volui, qua ratione mecum disponere deberet. Sæpius in omni loco & occasione quibusvis obviis querelas meas obtrusi, ut puerorum more compassionem aliquam elicerem. Sequitur n. 84.

69. Quæstio quarta. Quomodo faciam in posterum? omnium primò ad Deum refugiam, ejusque sanctissimæ voluntati omnia committam, rogans humillimè

millimè, ut omnia dirigat ad sui  
 Nominis gloriam & meam salu-  
 tem. Postmodum animæ meæ  
 consiliarium adibo, exquisitu-  
 rus, quid agendum mihi sit?  
 quid juvat alios scire? Tertiò ex-  
 pendam, qua ratione hanc DEI  
 ordinationem in utilitatem me-  
 am convertam. Quando nihil  
 habeo, quod patiar. in propo-  
 nendo fortis & in promittendo  
 liberalis sum; hoc autem tempus  
 illud non est, quo fortitudinem  
 & liberalitatem meam possum o-  
 stendere; tunc autem, quando  
 in angustias redigor, specimen  
 dare Deo meo debeo, num for-  
 tis & liberalis illius amator sim.  
 Sequitur n. 85.

70. Quæstio quinta. Qua-  
 les occasiones habeo, hoc pera-  
 gendi? Primò. Etiam cùm ne-  
 mo



mo ullam mihi molestiam facessit, ipse mihi sum gravis, ac plurimas mihi curas & heteroclitas cogitationes cudo. In his angustiis deprehensus me ipsum sustinere discam, & de solitis devotionibus nihil omittam. Deinde quidquid mihi acciderit, illico mihi dicam: Ita Domino placuit, sit nomen Domini benedictum! An habeo aliquem, à quo molestiam graviolem patior? hunc ipsum perferam cum mansuetudine & cum regio Propheta dicam: Dominus præcepit ei, ut malediceret David &c. 2.

Reg. 16. Sequitur  
num. 86.

## CAPUT XII.

*De tertia Potentia Animæ, sive  
de exercitio Voluntatis.*

71. **P**ROgredimur ad scopum  
præcipuum Operis no-  
stri, nimirum ad motum volun-  
tatis, in quo consistit fructus ac  
finis totius meditationis; siqui-  
dem omnia eò tendunt, ut vo-  
luntas in bonum consentiat & à  
malo se avertat: Etiam si enim  
memoria Boni recordetur, & In-  
tellectus bonum agnoscat, Vo-  
luntas autem non velit, omnia  
sunt frustranea, & boni fiet nihil.  
Quisquis ergo meditationem in-  
stituit, omnibus viribus connite-  
tur, ut impensum hætenus labo-  
rem in movenda voluntate con-  
summet. Fiet hoc, cum Volun-  
tas in omnis generis affectus &  
D virtu-



virtutum actus se effuderit. Per-  
gimus in materia de Oliveto  
cœpta, & ostendimus, quomodo  
post exercitias memoriæ & intel-  
lectûs potentias Voluntas sanctis  
affectibus sit inflammanda.

### §. I.

*Quinque Affectus ad primum  
punctum Meditationis de Tristi-  
tia Christi in monte Oliveti juxta  
ordinem quinque questionum in  
exercitio Intellectûs n. 56.*

72. O Amantissime Salvator  
ex intimo corde meo doleo,  
quòd peccatis meis tam immanem  
angustiam & tristitiam Tibi cau-  
saverim! ah! agnosco nunc fa-  
tis, quòd hæc sola sint causa mœ-  
stitiæ tuæ, & hæc sola deberent  
etiam esse meæ. Erubescio nunc  
& confundor intimè, respiciens  
in

in anteaſtam vitam meam, in qua longè ſollicitior fui, ne damnum aliquod temporale incurrerem, longè triſtior, cùm timui, ne gratiâ alicujus hominis exciderem. Temporalia hæc mihi ſomnum excuſſerunt, omne gaudium abruperunt, ita ut incaneſcerem: nunquam autem de peccatis meis ſimilem angorem aut triſticiam concepi, quæ tamen erant offenſio ſummæ tuæ Majestatis, & damnum animæ præ aliis omnibus longè maximum.

73. Ah! ſi alii omnes cauſam triſticiæ non haberent, haberem ego! ego Chriſtianus! ego à Deo tot beneficiis cumulatus! ego à Te habitus ut filius! ut filius dilectus! O Pater! advolvor pedibus tuis, & ſupplex veniam rogo, rogaboque millies,

nunquam ægrè laturus, cùm me in filiorum numero non habueris ampliùs, modò me ùt seruum & mercenarium tractes, quia etiam hoc non sum meritus.


74. Jam primùm video, quod antè nunquam ita agnovi, vitam nempe meam totam plenam fuisse peccatis & imperfectionibus. O longanimis, patiens & misericordissime Deus! quì fieri potuit, ut hæc omnia videres, & me tamdiu expectares? ô quàm verè misericordiæ tuæ sunt super omnia opera tua! pridem ah pridem meritus fuissèm à Te derelinqui & damnari! summas igitur gratias tibi ago, quòd tam benignè & misericorditer tuleris & expectaveris.

75. In posterum, Domine mi! omnia voluntaria & deliberata

rata peccata cum tua magna gratia vitabo. Locum hunc sine vera necessitate non adibo amplius, cum sciam occasionem ibi fore Te offendendi. Personam hanc cautissimè declinabo, utpote ansam peccati. In hoc meo officio ac munere hos & illos defectus non committam. Ah! Domine mi, copiosam tuam mihi gratiam largire!

76. Si Sanctus Petrus toties in lacrymas effusus est, quoties gallum cantantem audivit, memor negationis suæ, ego quoque cum profundissima humilitate & intensissimo dolore pectus meum percutiam, quotiescunque mentio incidit peccati etiam à me perpetrati, aut ipse meorum peccatorum recordatus fuero. Nunquam, ah nunquam illud mihi

D 3      place-



placebit, quod tibi displicet; sed animo contrito dicam: heu! quomodo delectari potui re, quâ Deum offendi, Salvatorem meum contristavi, animam meam in mortem tradidi! Ah! Domine mi ignosce mihi, quòd tuæ in monte Oliveti tristitiæ causa fuerim!

## §. II.

*Quinque affectus ad punctum secundum Orationis Christi in monte Oliveti, respondentes quinque questionibus in Exercitio Intellectûs n. 61.*

77. Ad quæstionem primam n. 61. Quid video, amantissime Servator! quò vehementiùs Te exagitat tristitia, eò ferventiùs orationi insistis. Ego autem, nisi identidem os meum melle perlinas,

nas, illico devotioni meæ finem impono. Quælibet res levicula omnia mea proposita disturbat; naturæ quoddam tædium & pigritia facile mihi persuadent, ut solitas orationes & mortificationes intermittam. Non ita mobilia in tecto vexilla sunt, ut mea sunt proposita. Pudet me inconstantia meæ, quâ factum est, ut plurima promiserim, paucissima servârim.

78. O Deus meus! volunt rogari homines pro omnibus & diu, quantò magis Tu, qui Dominus infinities major & excellentior es! Imò mirum non esset, si precibus meis nunquam annueres, offensus nimirum gravissimis peccatis meis. Certè meritis non sum, ut vota mea exaudias. Si Pater tuus cœlestis mul-

tas & longas preces tuas non ex-  
 audivit, quia mihi erat profi-  
 cum magis, quomodo ægrè fe-  
 ram, si orare debeam diutiùs;  
 si non obtineam, quod peto? ni-  
 hil fui promeritus, & forsan peto  
 aliqua, quæ mihi noxia sunt. Scio,  
 scio, unde mea oriatur inconstan-  
 tia: non aliunde, quàm ex mea  
 superbia, ingratitude, pigritia  
 &c. dum in ea opinione sum,  
 omnia mihi deberi, omnia me  
 promereri, opus non esse, ut me  
 ita defatigem.

79. Fateor, credidisse me ha-  
 tēnus, me supra vires onerari;  
 ipse me nimium amavi, nimium  
 æstimavi, compassus mihi sum,  
 vincere me nolui, corpus meum  
 nimis delicatè habui &c. An  
 Christus & homines alii corpora  
 ex saxo excisa habuere? an non &  
 ipsi

ipsi æquè ac ego dolores & æ-  
rumnas fenserunt? quando ergo  
Te & Sanctos tuos adversitatum  
patientissimos intueor, erubescere  
cogor, & fateri, nimis delica-  
tum me Christi imitatore[m] fuisse,  
qui ne nomen quidem Imita-  
toris Christi mereatur.

80. Quid igitur mihi magis  
in posterum commendatum sit,  
quàm ut tandem in bono con-  
stans perseverem? O Deus Opti-  
me! cum tua gratia, quæ evincit  
omnia, audeo dicere: Jam ten-  
ta me & experire! etiamsi occi-  
deris me, non deficiam ampliùs.  
Sed hoc non ex me dico, non  
meis sed tuis viribus confisus. Ne  
me deseras, ut non deseram Te!  
tecum potero omnia, ex me nihil.

81. Quid dicam de mediis?  
nonne omnes creaturæ tuæ, Do-  
mine,





mine, mihi occinunt, se Tui causa conditas esse? unicum creationis suæ scopum esse Te? atque ideo tibi propter Te serviendum esse, nullam autem Creaturam propter se in mundo existere? Quare age mecum secundum omnem voluntatem tuam. Agis mecum benignè? consolaris me ut Pater. Agis mecum durè? punis me ut Pater. Omnia, quæ facis, ad utilitatem meam facis, solam tibi gloriam & honorem reserves, qui tibi omni jure competit & debetur.

### §. III.

*Quinque affectus ad punctum tertium pro quinque questionibus in Exercitio Intellectus n. 66.*

82. Affectus ad questionem pri-

primam n. 66. Domine! voluntas tua sancta est, voluntas tua iusta est, voluntas tua Sapientia est ipsa. Quomodo ergo possum esse tam malitiosus, tam injustus, tam cæcus volendo aliud aliquid quàm tu velis? ut non illico voluntatem meam tuæ conformem? Ego Creatura tua tibi subjectissima procido in faciem meam ante Te, & adoro sanctissimam, justissimam, & sapientissimam voluntatem tuam. Non quod ego volo, sed quod Tu vis, fiat. O Christe Jesu! si tu ex reverentia erga Patrem tuum cœlestem, & amore erga me verba hæc prolocutus es, & hoc ipso omnem imminentem dolorem & pœnam in te suscepisti, ego tergiverfer sequi & illa proloqui? potius deberem verba tua inter-

pellare ac dicere: O Pater æterne, calicem istum à Filio tuo transfer ad me! ego peccavi, ego illum bibam. Saltem me offero ô benignissime Deus, ad ea omnia, quæ sanctissima voluntas tua in me decreverit, exantlanda. Impera, ordina, fac, quod lubet; Dominus enim meus es, cui in omnibus æternùm volo esse subjectus.

83. Affectus ad quæstionem secundam n. 67. Quàm parùm filio suo Pater malè vult, tam parùm imò infinities minùs mihi malè vis, qui es ipsa bonitas. Quomodo ergo possum esse tam immorigerus, imprudens & ferus, ut tuæ voluntati ullo modo audeam me opponere? utique experientiâ didici cæcitatem meam, & hinc voluntati tuæ, tanquam

quam securissimo ductori me in omnibus ducendum permittere debuissem. O anima mea! quò tua te propria voluntas abduxit? longissimè omnino à Deo tuo.

84. Affectus ad tertiam quæstionem n. 68. Non possum satis obstupescere meam hucusque temeritatem, quam in cogitationibus, verbis & operibus meis perpetravi. Ego, ego ille fui, qui multis centenis cogitationibus contra Dei ordinationes & imperia pugnavi. Ego vilissimus terræ vermiculus sæpe & diu in hujusmodi cogitationibus me detinui, quæ manifestè Divinæ legi repugnabant. Os meum ausus sum aperire, queri, & murmurare contra Dei permissiones, haud aliter, ac si vellem & possem meliùs gubernare.

Magne Deus! ignosce mihi temeritatem meam! in ipso opere saepe feci contra præceptum Dei mei, ego limus terræ! dum interea coeli Principes studiosissimè Dei voluntatem exequuntur.

85. Affectus ad quæstionem quartam n. 69. Posthac nullum aliud verbum ex ore meo prodibit, quàm: fiat voluntas tua! Abominor & execror omnes suggestiones mundi, carnis & Sathanæ, quia sunt contra Dei voluntatem. Detestor omnes meas inventiones & verba, quotquot sunt contra Dei voluntatem. Si contingeret, ut porrò aude-rem vel unicum verbum contra Dei dispositionem effutire, luam id certò in meo corpore, ut sentiat, mancipium se esse, cui nulla ratione competit, con-  
tra

tra Sanctissimum Dominum su-  
um mutire.

86. Affectus ad quæstionem  
quintam n. 70. Vide jam, ani-  
ma mea, si quid tibi difficile ac  
durum videtur, quid & quomo-  
do agendum tibi sit. Aspice  
Christum in Monte Oliveti, Chri-  
stum audi. Tristitiâ obrueris  
aut melancholiâ? Christum con-  
sidera. Totus tibi derelictus vi-  
deris? Oculos in Christum con-  
jice. O patiens, ô longanimis,  
ô plene amoris Salvator! nun-  
quam locum hunc sanguineo su-  
dore tuo madescentem è memo-  
ria mea dimittam. Omne id,  
quod patior, utut magnum sit,  
tuæ tamen Passioni comparatum  
nihil est. Ah! nondum San-  
guinem sudavi! ah! inimici mei  
tuis nondum sunt feritate pares!  
Ah!

Ah! nondum fui tristis usque ad mortem! quid calix meus ad tuum?

His & similibus affectibus meditationem tuam conclude, addito colloquio ad Christum juxta formam præscriptam c. 14.

### CAPUT XIII.

*Catalogus & paradigma variorum Affectuum ad exercitium Voluntatis servientium.*

**Q**ui fusiores hujusmodi affectuum descriptionem desiderat, inveniet eam in opusculo Blasii Palma, aut in Pactis Hagiophilæ P. Barri, vel Moribus Divinis S. Thomæ Aquinatis. Brevissimè indicantur hic aliquot actus virtutum, qui per modum affectûs eliciuntur.

87. *Adoratio.* Scriptum est:  
Do-

Dominum Deum tuum adorabis,  
 & illi soli servies. Et quem alium  
 adorabo? Adoratio & cultus su-  
 premus & subjectio maxima: Ti-  
 bi autem competit supremus cul-  
 tus, Tibi ô Deus meus subjectio  
 maxima: Tu enim summus Do-  
 minus es, & omnes Creaturæ Ti-  
 bi comparatæ non nisi mendica-  
 bula & mancipia sunt. Coram  
 Te flecto genua, & adoro Te  
 Dominum meum & Deum  
 meum.

88. *Paupertas.* Omnia in  
 cœlo habebas præterquam pau-  
 pertatem. Quare ut etiam pau-  
 per esses, in terram descendisti  
 ô Fili Dei, & thesauros Pauper-  
 tatis mihi manifestasti. De Pau-  
 peribus dixisti: Beati pauperes  
 Spiritu, quoniam ipsorum est re-  
 gnum cœlorum. Quare Beati?  
 quia



quia omnia relinquunt, omnia  
 aquirunt; quia temporalia con-  
 temnunt, consequuntur æterna;  
 quia omnem suum amorem in  
 Deum transferunt, à Deo plus  
 quàm cæteri diliguntur. Amo-  
 re Tui Deus etiam ego pauper ero  
 saltem corde & animo, ita ut  
 nulli rei temporali cor meum ad-  
 hæreat: omnia libenter & quo-  
 cunque vis tempore, relinquam.

89. *Constantia.* Tu es Deus  
 immutabilis in & ex essentia tua,  
 constans in voluntate: ego verò  
 ipsa sum inconstantia; quia Te  
 non pono fundamentum meum,  
 sed arenæ inædifico rerum cor-  
 ruptibilium & transitoriarum.  
 Non ita posthac. Omnia, quæ  
 ago aut omitto, omnes intentio-  
 nes meæ & molimina fundabun-  
 tur in Te. Sine te nihil incipiam,  
 nihil

nihil omittam, & sic spero, me in bono fore constantem.

90. *Amor Crucis.* Quando Te video Cruce oneratum, aut eidem clavis affixum, video ô Redemptor patientissime, tuum Crucis amorem. Ergóne ego tam semper ero delicatus & comoditates meas sequar? Si Te non sequor in via Crucis, heu non sequor in via cœli. Adverto insuper, quòd Tu Crucem tuam non elegeris, sed illam acceperis, quam Pater tuus cœlestis per iniquissimos Judices imposuit. Quapropter & ego refragari non possum, cùm materiam patiendi humeris meis imponis, nec de Cruce descendere mihi licet, aut aliam Crucem quærere, diversam ab illa, quam mihi imposuisti. Concede mihi gratiam, ut  
om-


omnia, quæ pati me vis, æquanimitè feram, & tui quidem folius amore.

91. *Gratitudo.* Quod habeo, & quod sum, tuum est beneficium ô Domine! atque obligatissimus sum pro omnibus, me tibi gratum sistere. Et quia beneficia hæc tua nunquam cessant, etiam meum erit, nunquam à gratiarum actione cessare. Exclamandum mihi proin cum sancto Davide est: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Laudo & glorifico Te, & agnosco maximam tuam erga me indignum servum tuum liberalitatem, & nihil aliud magis opto, quàm ut omnes Creaturæ se mihi jungant ad laudandum Te in æternum.

92. *Cognitio sui ipsius.* Quis sum?

sum? ante conceptionem meam  
 nihil; post primum peccatum  
 meum minus quàm nihil. Sum  
 pulvis & cinis, limus, cadaver,  
 fæccus vermium, servus rebellis,  
 ingratus filius, à quovis vento  
 mobilis. Quid possum? sine Te  
 nihil, ne pedem quidem move-  
 re, ne unam quidem bonam co-  
 gitationem elicere, & quod abo-  
 minabile est, divino tuo concur-  
 su ad omnem operationem  
 meam abutor ad peccandum  
 contra Te. Quid ero? esca ver-  
 mium, captivus in sepulcro sex  
 pedes longo, & nisi me tua mi-  
 sericordia præservet, æternùm  
 miser, & socius damnatorum  
 hostium tuorum. Et ego ausim  
 gloriari? ego me magni facere?  
 ego aliquid agrè ferre?

93. *Timor Dei.* Nolite time-  
 re



re homines, ait Christus, qui corpus quidem possunt occidere, si Deus, ut vobis nocere queant, permiserit, animam autem non possunt occidere. Sed hunc time, qui, postquam corpus occiderit, animam potest perdere in gehennam. Timeo Te ô Deus ut filius & ut servus; ut filius ex amore, quia te Patrem meum amo super omnia, & ideo omni modo satagam, ut Te non offendam: ut servus propter pœnam, cum sciam, quod nihil impunitum relinquant in hac aut altera vita.

94. *Fides.* Pulchrè S. David: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Ita est, nunquam fuit Ecclesia, quæ tam præclara, & manifesta pro se testimonia habuit, sicut tua vera, san-  
cta

eta & una Ecclesia. Quidquid ista docet, firmissimè credo, ita ut cum omnibus sanctis Martyribus paratus sim, pro omnibus & singulis fidei articulis vitam & sanguinem profunderè. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ &c.

95. *Obedientia.* Clarissimis me verbis docuisti, Domine: Qui vos audit, me audit. Præcepisti mihi obedientiam parentibus & Superioribus meis exhibendam. Huic tuæ voluntati ut obsecundem, Te in locum tuum tenentibus honoro, & omni conatu eorum statuta & ordinationes exequar, non aliter, ac si eorum præcepta ex ore tuo prodeuntia audirem. Non discernam inter Superiorem & Superiorem, nec in causas, ob quas impe-

imperant, inquiram; fatis mihi erit, scire, quod tuo nomine imperent.


96. *Conformitas cum Divina voluntate.* Domine! fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. In cœlo ex innumeris Angelorum millionibus ne unus quidem est, cui incidat, aliquid contra tuam sanctam voluntatem facere, omnes exultant, eidem absque ulla morâ obtemperare. In terra hoc ipsum longè magis deberet fieri, cum hujus terræ incolæ plurimùm sunt ignobiliiores incolis cœli. Ita Domine, tua voluntas fiat: est enim, Sancta, justa, ipsa Sapiencia. Non mea, sed tua in omnibus voluntas fiat!

97. *Spes.* Qui confidit in Domino, non confundetur in æternum, ait Psalter regius.  
Duo

Duo à te spero , misericordissime Deus! Gratiam in hoc exilio & beatitudinem in patria. Dum vivo , spero peccatorum meorum remissionem, opem & robur in tentationibus, necessitatibus & adversitatibus meis, ac denique felicem in tua gratia mortem. Si hoc impetravero , habebo etiam copiam videndi tui, & æternùm fruendi. Tu ipse hanc fiduciam ad Te ingeris , & qui de tua gratia desperat, hoc ipso non credit , quòd Deus sis. Cùm igitur velis, ut te credam Deum meum esse, & amem Te, vis etiam, ut in tua misericordia confidam.

98. *Virginalis & Statui conveniens Castitas.* Hæc tibi, Ô Fili Virginis tam grata virtus est, ut ibi habitare non velis , ubi vir-






tus hæc non est. Quare sensus meos eò adigam, ut nihil inconueniens in cor meum admittant. Linguam meam ab omni turpiloquio coërcebo; ipsa enim primum membrum est, quod tu, cùm SS. Eucharistiam accipio, attingis. Phantasiam, Memoriam, Intellectum & Voluntatem ita custodiam, ut anima mea tibi semper gratum habitaculum sit & permaneat. Tu autem Domine, copiosam gratiam tuam dabis, cùm non nesciam, neque Davidis Sanctitate, neque Salomonis Sapientiâ, neque Samsonis fortitudine præditum me esse, qui tamen impuritati denique succubuêre.

99. *Prudentia.* Mi Domine tu in me accendisti Lumen rationis, idque auxisti per revela-

tas

tas sanctæ fidei veritates. Omnia ad hoc ordinâsti, ut vitam & a-  
 ctiones meas omnes instituerem  
 sicut decet hominem ratione u-  
 tentem, & vera fide instructum,  
 scilicet juxta regulas summæ Sa-  
 pientiæ, quæ in hoc consistit, ut,  
 quæ ago, dirigam ad Te, finem  
 meum supremum & ultimum.  
 Intimè cordi meo imprimam  
 verba Prophetæ Jeremiæ: Non  
 gloriatur Sapiens in Sapiencia sua,  
 & non gloriatur fortis in fortitu-  
 dine sua, & non gloriatur dives  
 in divitiis suis: sed in hoc glorie-  
 tur, qui gloriatur, scire, & nôs-  
 se, quia ego sum Dominus &c.  
 cap. 9.

100. *Amor Dei & proxi-  
 mi.* Mandas mihi, ut diligam  
 Te! ah! hanc mihi gratiam à te  
 exorare debuisssem, ut dignare-



ris amari à me. Amo Te, & amo ac æstimo Te super omnia. Amo Te ex toto corde, ex toto animo, ex omnibus viribus, ut summum Bonum, supremum & solum Dominum. Amo Te propter Bonitatem tuam, intrinsecam & infinitam perfectionem. Amo Te etiam, quia erga me tam bonus fuisti, me creâsti, redemisti, conservâsti & innumeris beneficiis cumulâsti. In Te sunt omnes amabilitates, omnes pulchritudines, omnes perfectiones, quæ Te super omnia immensum extollunt, & infinito amore dignæ sunt. Proximum amo propter Te, quia amorem hunc tu mihi præcipis, & scis, quòd amore tui illum diligam. Amo illum ut imaginem tuam, ut instrumentum gloriæ tuæ, qui  
re

te in tempore & æternitate amare & laudare potest. Precor illi omnia bona, & paratus sum, ei in omni necessitate pro viribus auxiliari. Omnia, quæ unquam in me peccavit, propter Te ei condono & ignosco.


101. *Mansuetudo.* O Domine invitas me ad scholam Virtutis tuæ, cùm dicis: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Verissimè tu mitis eras, dum tolerâsti omnis generis cruditates, falsitates, perfidias, verba instar sagittæ cor penetrantia ab inimicis tuis, & iisdem insuper beneficia contulisti. O quàm citò exardesco! quam citò reciprocas injurias rependo! quam diu animo meo hærent illatæ contumeliæ, imò unum quandoque verbum? Jam verò, ô

Domine, discam tacere, ore etiam subridente & tranquillo animo dissimulabo, si quando contrariantia mihi videro vel audiero, imò mala bonis compensabo.

102. *Humilitas.* Hæc virtus est quasi characteristica Salvatoris. Humiliavit semetipsum, naturam humanam sibi uniens, & hac unione usque ad formam servi se demisit, quin etiam in Circumcisione signum peccatoris accepit, ac denique in sacratissima Passione sua per publicam Judicum Sententiam ignominiam malefactoris ad mortem damnati sustinuit, ut hac ratione superbiam meam in omnibus actionibus meis promicantem confunderet. O Deus meus! quàm nullam ego causam super-  
bient-

biendi habeo ! à me nihil sum ,  
 & bonum , quod Tu in me feci-  
 sti , peccatis meis , & gratiarum  
 tuarum abusu corrumpti . Homo  
 sum peccatis obnoxius , miser ,  
 & qui nihil sciat , nihil possit , &  
 in omne peccatum præceps ruat ,  
 nisi identidem me tuâ gratiâ po-  
 tenter sustentens . In posterum ,  
 Domine , parùm , imò nihil de  
 me sentiam , & in Te solo confi-  
 dam . Nulli hominum me præ-  
 feram , nihil ægrè feram , sed  
 millies cogitabo , omnia , quæ  
 de me fiunt , justè fieri , & lon-  
 gè deteriora promeritum fuisse .  
 O si hominibus peccata mea pa-  
 terent , longè contemptibiliùs  
 mecum agerent &c.

103. *Oblatio sui ipsius.* Mun-  
 dus blandiens , & Sathan tentans  
 allaborant me in suas partes tra-



here, & ad suum servitium pel-  
 licere. Et ego tam fui fatuus ac  
 demens, ut illis crederem, &  
 quasi obligationis meæ esset, feci  
 plurima, ut iisdem placerem.  
 Nunc autem agnosco gravissi-  
 mum errorem meum: in primis  
 enim, dum mundo & Sathanæ  
 servivi, me ipsum perdididi, &  
 manibus palpare potui, illos non  
 fuisse amicos meos, uti simula-  
 bant, sed infensissimos inimicos.  
 Dein certum & contestatissimum  
 est, quòd Deus omne domi-  
 nium in me habeat, & me possi-  
 deat ut Creator, Redemptor &  
 Conservator meus. Insuper cla-  
 rè video, quòd nihil perdam,  
 cum Domino Deo meo totum  
 me trado, sed verè meus esse in-  
 cipiam. O Domine! tuus esse  
 volo, tuus æternùm manebo,  
 Tibi

Tibi me totum dono & trado, ah!  
concede ut semper tuus sim!

104. *Pactum cum Deo.* Liceat mihi, Domine, duplex tecum pactum inire in omnem æternitatem. Primum est, quòd nunquam in quibuscunque casibus, occasionibus & tentationibus &c. Te velim offendere. Quoties cogitavero aut dixero: Nolo, non &c. idem volo dixisse ac: detestor & execror omne id, quod contra Te est. Secundum. Quoties spiritum traho, oculum, manum aut pedem moveo, vel sanguis in arteriis meis subsultat, toties Te Deum ac Dominum meum, quem super omnia amo & appetio, velim laudare & glorificare, & ab omnibus Creaturis cupiam laudari & amari super omnia.



105. *Languor Amoris.* Idem mihi accidit, quod amanti illi Sponsæ in Canticis, quæ ex deficiente quasi corde ingemuit: dicite Dilecto meo, quia amore languo. Idem sentio, quod sanctus & inflammatus amore Christi Paulus, cum dixit: Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Quale gaudium est mihi in mundo hoc lurido, misero, periculoso & peccatis referto? quamdiu in illo vivo, nunquam extra periculum sum, Te ô Deus meus offendendi & æternùm amittendi. Domine fecisti me ad Te, & irrequietum est cor meum, donec requiescat in Te. O quando veniet felicissimum illud momentum, quo incipiam æternùm Te frui!

106. *Contritio.* Omnipotens  
tens


tens sempiternæ Deus credo, quòd Dominus meus, Deus meus, & summum bonum sis, quem amare teneor, & jam antè super omnia. Et ob hoc ipsum ex intimo corde doleo, quòd Te meis multis & gravibus peccatis offenderim. Agnosco quidem etiam & doleo magnam meam ingratitude[m] erga innumera tua beneficia in me collata, præfertim quòd me ex nihilo creaveris, pretioso Christi Sanguine redemeris, & hæcenus tam benignè conservaveris. Præterea etiam timeo justissimam iram tuam, quæ me in tempore & æternitate punire potest. Nihilominus tamen super omnia doleo, quòd Te supremum Dominum, Omnipotentem Deum, & infinitum, super omnia amabile,

Bonum offenderim. O Domine miserere mei, & ignosce mihi peccata mea, quæ nunc ex animo detestor & abominor. In posterum firmissimè propono feriam cum tua gratia emendationem, malas consuetudines exuam, occasiones ad peccatum allicientes fugiam, & proxima quaque opportunitate peccata mea omnia sincerè confitebor.

107. *Zelus animarum.* Animarum amore factus es homo, ô Christe Jesu. Animarum amore factus es obediens usque ad mortem. Et certè pretiosa res est Anima, Creatura immortalis, quæ Te in omnem æternitatem amare & laudare potest. Quis igitur ulli sumptui aut labori parcat, quo tam nobiles & Deo dilectas animas ab æterno exitio

exitio fervet? Prima mea cura erit, ô Deus meus, animæ meæ salus, dein etiam orando, pati-endo, exhortando, bonis exemplis, & factis etiam sumptibus conabor alias animas juvare, ne in peccatum & exitium sempiternum labantur.

108. *Tristitia.* Non omne tempus gaudiis & lætitiæ dandum, etiam quandoque Tristitiæ aliquod concedendum est. Quare autem mœrori aliquid tribuam? si amantissimum Servatorem meum considero sudantem in Oliveto, flagellatum & coronatum in platea, crucifixum in monte &c. saxeam omnino pectus haberem, si non ad compassionem emollirer. Ultra hæc cogor fateri, quòd meis peccatis omnium istorum dolorum




causa fuerim, utique in tristitiam omnium justissimam delabi me oporteret, & intensissimo dolore affligi, quòd Deum tam bonum offenderim. Et hæc tristitia non dejiciet me in pusillanimitatem, sed excitabit in me desiderium, Christo per meam compassionem, pœnitentiam, & emendationem aliquid compensandi & gaudium faciendi.

109. *Contemptus omnium rerum temporalium.* Verissimè exclamavit S. P. Ignatius: Quàm fordet mihi terra, cùm cœlum aspicio! nihil est in terra laude dignum, nihil constans, nihil perfectum! Quid est Terræ honor? Imaginatio, fumus, deceptio, vanitas! Verus honor est honor coram Deo, esse servum DEI, esse filium DEI, esse  
in

in gratia DEI. Quid sunt mundi divitiæ? res plena curarum, plena periculorum! nolis velis debebis omnes divitias post te relinquere, & earum nihil tecum poteris ad vitam alteram transferre. Quid est voluptas? breve gaudium, gaudium periculofum, gaudium turpe & abominabile. Sanctè dixit, qui dixit: Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum & illi soli servire.

110. *Veracitas.* Ita amas veritatem ô Redemptor mi, ut inter alia tua attributa etiam velis dici Veritas. Ita horres mendacium, ut illos, qui mendacium loquuntur, filios Sathanæ proclames. Tuus filius esse volo, non Sathanæ, veritatem dicam, quidquid mihi impendeat.

Veri-



Veritati adstipulabor , & neque  
metus neque spes à veritate me  
avellent: quid enim potiùs spe-  
rem aut timeam, quàm Te Deus  
meus ?

III. Tu ô Deus meus es fi-  
nis ultimus meus & supremus.  
Ideo vivo, ideo in mundo sum,  
ut Tibi serviam, & Tibi servien-  
do æternùm felix esse possim in  
Te fine meo ultimo. Si quid  
aliud in mundo quæram, quàm  
Te, frustra in mundo sum, fru-  
stra vivo. Tu ô Deus semper  
eris scopus, ad quem in omni  
mea actione collimabo. Sine  
Te creatura sum miserrima, Te-  
cum autem creatura sum felicissi-  
ma in tempore & æter-  
nitate.

## CAPUT XIV.


*De Colloquio in fine.*

112. **O**Mnis meditatio finiri debet cum Colloquio, ad illam personam directo, quæ in meditatione fuit principalior. Hanc meditans alloquatur verbis, quæ ex præcedenti tractatione cor ei suggeret. In nostra meditatione de oratione in monte Oliveto principalis Persona est Christus; quare hunc in sequentem modum poteris alloqui, & totam meditationem cum Pater &c. & Ave finire.

113. Amantissime Redemptor Christe Jesu, quantâ Te vidi obrutum tristitiâ! concede mihi gratiam, ut particeps sim tristitiæ tuæ, quam propter peccata mea, quæ unica causa veræ tristitiæ

stitiæ





stitiæ sunt, sustinuiſti. O mi  
 Servator! quantam in Te con-  
 ſtantiam vidi! ò conſtantiffime  
 animæ meæ amator! ô Advoca-  
 te longanimis apud cœleſtem Pa-  
 trem tuum pro animæ meæ ſalu-  
 te! fac, ut nunquam in tuo ſer-  
 vicio laſſeſcam, nunquam defi-  
 ciam! O quàm durum & omni  
 naturæ inclinationi contrarium  
 fuit illud æterni Patris tui man-  
 datum! cui tamen perfectiffimè  
 obſecundâſti. Da mihi illam  
 mentis conſtantiam, quâ con-  
 firmatus omnem difficultatem  
 vincam, & in omni circa me di-  
 ſpoſitione tuæ Divinæ voluntati  
 cum omni humilitate ac patientia  
 me conformem. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

## CAPUT XV.

*Examen seu reflexio supra factam Meditationem.*

114. **Q**ui rem aliquam perfectè vult addiscere, & cum tempore insignem aliquam Prudentiam adipisci, sæpius debet se supra antea facta reflectere, & perquirere, quomodo hoc aut illud fuerit peractum? quinam errores aut defectus possent redargui? qua ratione inchoari & finire hæc & illa debuissent? Examen hoc aperit intellectum, & proverbium illud verum esse demonstrat, quo dicitur: Errando discimus. Quisquis igitur artem meditandi bene vult callere, aut ex sua meditatione fructum colligere, debet super hac examen instituere, quod



quod in tribus ferme quaestio-  
nibus consistit.

Quaestio prima: Quomodo  
te applicasti in praeparatione?  
exercitio Memoriae, Intellectus  
& Voluntatis? an non a scopo &  
proposito fine ad evagationem  
curiosam & non necessariam de-  
clinasti? an potentias tuas juxta  
praescriptam instructionem ap-  
plicasti?

Quaestio secunda. Quas ha-  
buiſti ſpeciales cognitiones veri-  
tatum & lumina? quanam pro-  
posita ad vitae tuae emendatio-  
nem (id quod praecipuum in  
meditatione est) fecisti?

Quaestio tertia. Quomodo,  
quando, in quibus occasioni-  
bus poteris haec tua proposita  
executioni mandare? nullo mo-  
do contentus esse debes, quod  
hora


hora hæc bene fuerit exacta, sed potissimum anniti debes, ut ea, quæ cognovisti & proposuisti, exequaris. Hucusque tantum seminasti, plurimum adhuc operæ requiretur, usque dum metere possis & in horrea recondere. Quare propone tibi statum tuum, occupationem, habitationem, socios tuos &c. & circa hæc quid te facere oporteat, disquire.

CAPUT XVI.


*Quomodo ex meditatione memoriale aliquod possit seligi?*

**U**T etiam de die fructum ex meditatione matutina possis facere, consultum est, ut aliquam sententiam vel gnomen seligas, quæ tibi proposita tua & cognitiones in memoriam revocet,

VOCET,




vocet, animúmque excitet ad ea facienda, quæ in meditatione pertractâsti. Ex meditatione, quam de oratione in horto instituimus, hæc posset sententia excerpi: nil, nisi peccatum: subintellige: poterit me contristari. Vel hæc: qui potest expectare: hoc est, omnia obtinebit. Vel ista: nihil sine Te; scilicet, potest fieri. Hujusmodi-sententiolam sæpius per diem animo revolve etiam inter media negotia & labores, & dic: nihil sine Te &c. Et hoc cogitando omnium illorum reminisceris, quæ in primo meditationis puncto manè expendisti & proposuisti. Et sic virtute hujus memorialis meditatio tua in totum tibi diem proderit.



## CAPUT XVII.

*De annotatione fructuum ex meditatione haustorum.*

**G**ratitudo & Utilitas exigent à meditante, ut quandoque annotet lumina & proposita. Gratitudo quidem; quia magna gratia est, Divinarum rerum aliquid cognoscere. Ut igitur gratia hæc non illico oblivioni tradatur, admodum salubre erit, hujusmodi cognitiones scripto mandare, & easdem relegendo denuo ruminari. Utilitas autem in hoc consistit, quòd meditans post longum tempus illarum bonarum cogitationum, & divinorum impulsuum capere fructum possit, quod fieri vix poterit, si soli suæ memoriæ confidat. Si quis in Spiritu




ritu proficiat, libenter recordabitur spiritualis suæ infantia; si quis autem deficit. erubescet legendo hæc sua scripta, eò quòd antehac melior fuerit, quàm nunc sit; cùm tamen in Spiritu quotidie crescere debuisset. Ut autem etiam hac in parte exemplum aliquod habeas in ordine ad meditationem de Oliveto, posses ex hæctenus pertractatis ista annotare.

Primum. Cognovi, nullam unquam tristitiam admitti debere, nisi ob solum peccatum; imò etiam propter peccatum non ita, ut in pusillanimitatem dejiciatur; sed illam denique tristitiam fore proficuum, quæ hominem ad refarciendum DEO honorem impellat.

Secundum. Intellexi, quòd  
 meæ devotiones, Spes & fidu-  
 cia citò deficient, præsertim cùm  
 mihi ad votum & voluntatem  
 meam non omnia succedunt.  
 Quid est hoc aliud, quàm Deo  
 magis ad proprium gustum,  
 quàm ex amore servire?

Tertium. Clarè mihi inno-  
 tuit, neminem à lapsu remotio-  
 rem esse, quàm illum, qui in  
 omni eventu divinæ se volunta-  
 ti perfectè committit, propriam  
 autem voluntatem errori proxi-  
 mam esse. Quotiescunque in  
 hujusmodi veritates iterum in-  
 cideris, nunquam sine fru-  
 ctu leges.





## CAPUT XVIII.

*Animadversiones aliquot in hæ-  
tenuis dicta.*

**A**Dvertendum est primò:  
Quòd substantia Medita-  
tionis consistat in motione vo-  
luntatis, & bonum cognitum  
feriò velit exequi, & sic se cum  
Deo perfectè unire, qui eo ipso  
verè diligitur, quando ejus vo-  
luntas integrè opere completur.

Sequitur ex hoc, quòd in  
præludiis nemo se debeat diu de-  
tinere, sed ad hoc magis atten-  
dere, ut veritatem bene pene-  
tret, & efficaciter velit. Hoc  
faciendo optimè est meditatus.

Tertiò fructus seu proposita  
non debent esse universalialia, sed  
ad certos terminos restringi:  
non enim sufficit dicere: in po-  
sterum

sterum verè humilis ero: sed debes inquirere, in quibus occasionibus officii tui possis & velis te humiliare; quid cogitare, quid respondere, quomodo cedere, quomodo tacere velis, & non tantùm linguæ sed etiam animo persuadere, quòd omnino deceat, & exemplum Christi à te exigat, ut hoc modo te humilies.

Quartò. Docet hoc opusculum ordine, quomodo memoria aliquid intellectui proponat, Intellectus expendat, & voluntas moveatur. Necessarium tamen semper non est, ut affectus ad usque exercitium Voluntatis differantur, & non etiam quandoque exercitio memoriæ aut intellectus subjungantur. Ipsa te experientia doce-

bit, quid tibi utiliùs accidat. Salvo tamen meliore iudicio semper censui, melius esse, si ordine procedatur; eò quòd semper animo magis collecto & excitato fiat id, quod ordinatè fit. Quòd si tamen DEUS alià vià ducat, illam ini, expetito priùs consilio Patris spiritualis, quod DEUS nunquam excludit.


Quintò demum noli tædio succumbere, si non illico hanc meditandi rationem calleas; si enim perseverante conatu in modo hoc orandi te exercueris, & conscientiaè moderatori diligenter obtemperaveris, divina gratia tibi non deerit, quâ possis hanc methodum sensim perdiscere, & ad tuam utilitatem convertere. DEUS tibi viam hanc suo lumine collustret, ego  
illam

illam nonnihil complanare pro  
mea tenuitate conatus sum.

## CAPUT XIX.

*Paradigma Meditationis ad da-  
tam hæctenus instructionem  
ordinatæ.*

**U**T res evaderet ordinata &  
clara, cuique animæ po-  
tentia distinctum caput debuit  
attribui, & ita sine confusione  
potuit cujusque partis natura  
describi. Quia tamen fortè non  
deerunt, qui libenter viderent  
unam totam meditationem, abs-  
que foliorum citatorum inquisi-  
tione, in continuum ordinem  
redactam, operæ pretium esse  
duxi, hujusmodi meditationem,  
& quidem de illa ipsa Christi o-  
ratione in horto, in suas partes



sibi invicem succedentes proponere, in qua velut exemplari quid sibi faciendum sit, perspiciat.

*Præparatio.* Pro materia meditationis accipiam illa verba S. Matthæi, quæ, cùm Christum ab oratione surgentem describit, ita proposuit: Venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Quid ex hoc puncto pro me eruam? ah! magnam meam socordiam & incuriam. Quales inde affectus sequentur? propriæ confusionis, & desiderii, Christum meum per omnia sequendi. Quisnam erit præcipuus hujus meditationis scopus? Tepiditatem meam aggrediar & vincam. In hisce cogitationibus obdormiscam & surgam,  
 ut

ut bene memoriae inhæreant.  
Num. 32.

*Sistere se in præsentia DEI.*

Coram quo nunc apparebo?  
coram Domino Deo meo. Hic  
me videt, hic me audit, hic au-  
xilium suum mihi offert. Ita  
est! hic mihi præsentissimus est,  
hoc firma fide credo, hunc pro-  
funda genuflexione adoro. n. 39.

*Oratio præparatoria.* Veni  
Sancte Spiritus! illumina intel-  
lectum meum, & permove vo-  
luntatem, ut agnoscam, quid  
à me petas, &, quod agnove-  
ro, seria voluntate exequar.

*Preludium primum.* Medi-  
tabor, quomodo Christus fini-  
ta oratione à terra surgat, ad  
discipulos suos vadat, dormi-  
entes inveniat, cósque, maxi-  
mè Petrum, qui paulò antè fi-

dem nescio quàm jactaverat, increpet, quòd ne unam quidem horam secum vigilare sustineant. Num. 43.

*Preludium secundum.* Facile mihi possum repræsentare, quo vultu, quibus oculis, & sudore sanguineo perfusus ab oratione surrexerit, ac discipulos circumjacentes ac sopore victos conspexerit. N. 44.

*Preludium tertium.* Domine DEUS, fac ut agnoscam in hac meditatione magnam meam tepiditatem, quæ me quanto-cyus in tuo servitio & meis propositis languere facit. Accende in me fervorem, ut novis animis exurgam ad serviendum Divinæ Majestati tuæ.

*Exercitium Memoriae.* In hoc puncto S. Matthæus mihi exhi-

exhibet Apostolorum fragilitatem, & somnum, qui ob magnam tristitiam, tædium & timorem illos obruit, cùm tamen in genua procumbere, orare, & Christi præcepto obsecundare debuissent: Orate, ut non intretis in tentationem. Deinde etiam adverte, quòd Christus Petrum præ aliis fuerit allocutus, vel quòd ille omnium princeps & suus in terris Vicarius præ aliis omnibus somnum excutere & vigilare debuisset, vel quòd in ultima cœna se omnibus fortiozem & in fide constantiorem jactâset. O Deus! quàm mutabiles homines sumus! Ægrè tulit Christus, quòd ne unius quidem horæ spatio vigilare & in orando sociam operam navare conati fuerint.



Novos denuo animos fecit.  
Num. 47.

*Exercitium Intellectûs* juxta primam quæstionem. Cujus rei me admonet somnus iste? Primò quòd homines, quando omnia ad votum fluunt, & extra omne periculum sunt, nihilque adversi sentiunt, admodum animosi sint, sibi que de magna fortitudine & insigni Dei amore blandiantur; cùm autem ad rem ipsam pervenitur, & difficultatem experiuntur, tergiversentur, hæreant, & se ipsos vincere detrectent. Deinde Christum contemlor, pastoris optimi & solliciti Patris vices agentem, qui oviculas suas circumspicit, & filiorum curam habet: Petrum autem invenio officio suo deesse, promissi sui  
ob-

oblivisci, & naturæ torpori succumbere.

*Exercitium Voluntatis* circa quæstionem primam. O quantum ad ista verba Petrus erubuerit! siluerit utique & secum cogitaverit: Verè magister meus justam conquerendi causam habet! Et ego erubesco, DEUS meus! quòd ego, tot titulis tibi obligatus post innumera proposita, tam in servitio tuo socius sim, tanto tædio laborem, & quavis occurrente difficultate retrocedam. Quàm morosè & illibenter de strato surgo? non aliter timeo frigescentem circum aërem ac Leonem hiantem rictu me expectantem. Quàm citò fatisco, cum flecto genua? quàm brevibus terminis circumscribitur oratio mea? cogor fateri,

me esse pigrum & somnolentum, ac omnino tepidum DEI servum. Doleo summopere, quòd tam multum acediae indulserim! Debeo & volo, longè alium erga Te ô DEUS, me præstare.

*Exercitium Intellectûs* juxta secundam quæstionem. Quam causam habeo hoc faciendi? ô quam causam! an non satis causæ sit, quòd Dominus, cui servio, tam magnus, imò maximus omnium Dominus sit? nonne curritur, quando princeps aliquid imperat, imò respicit, & nutu aliquid indicat? Princeps terræ quid est DEO cœli & terræ Domino comparatus? O si mihi liceret Angelos intueri, quanta cum reverentia, quanta cum diligentia & attentione Deo

inserviant, nunquid in ima terræ viscera me occultarem? Super hæc omnia summam meam video obligationem, attendens beneficia & promissiones maximas! non servio gratis, sed expecto remunerationem sempiternam.

*Exercitium Voluntatis* ad secundam quæstionem. Magne DEUS! omni honore dignus es, omni diligentia, omni conatu & labore, omni amore & super omnia æstimatione. Ah! ignosce mihi omnem meam duritiam, & omnem meam ingratitude, quam nunc vehementer obstupesco & horreo. Cogor cum mea summa confusione fateri, quòd ego & omnes mei similes longè obsequiosius mundi dominis inservierimus,

mus, & majori longè cum sollicitudine quæsierimus temporalia, quàm tuum honorem, & nostram beatitudinem. Quocunque oculos verto, mille causas habeo vigilandi, & tibi etiam cum mea maxima molestia inferendi. O corpus meum pigerrimum! haud aliter te debeo ad bonum cogere, ac asinum, qui verberibus adigitur ad ferendum onera.

*Exercitium Intellectûs* ad quæstionem tertiam. Quomodo me hætenus in servitio DEI gessi? Proposui sicut Petrus, & propositum servavi sicut Petrus. Quamdiu scilicet nullam sensi difficultatem, admodum diligens fui DEI servus, & omnia non tantùm facilia mihi finxi, sed etiam certa. At verò quocumque

ries

ties sub oratione ante tempus somni, & ultra tempus manè somno indulſi? nunc mihi ſacrum, nunc concio, nunc hora meditationis mihi moram nimis longam fecerunt. Nunc laborem naſeavi, & omnia in craſtinum diſtuli. Verbo: centies me debuiffem vincere, & amori proprio vim inferre.

*Exercitium Voluntatis* circa tertiam quæſtionem. O quoties, longanimis DEUS, potuiſſes mihi dicere: O piger & inutilis ſerve! an ideo tot te gratiis cumulavi, ut eas in acedia tuæ veterno ſepelires? an non Pater meus cœleſtis, an non ego de te meriti ſumus, ut majori cum fervore nobis ſervires? O ſi aliis has cognitiones ac occaſiones dediſſem, majori longè

gè fervore in obsequio meo stetit. Ita Domine verberibus age, puni, & torque me, habes fatentem reum, & dignum plagis.


*Exercitium Intellectûs* circa quæstionem quartam. Quid fiet in posterum? In posterum sæpius me alloquar verbis Sancti Bernardi: ad quid venisti? an DEUS te ad pigritandum creavit? an ideo ad hunc te statum & occasiones vocavit, ut asino tuo pigerrimo, corpori tuo indulgeres? Socors fui in surgendo, focors in eundo cubitum: sed posthac horam designabo, quâ de strato velim surgere, & quâ stratum repetere, & quamprimum designatum tempus adesse cognovero, absque ulla interposita mora me accom-

commodabo. Hactenus unum & alterum citiùs abrumpi; post-hac autem ne momentum quidem præstituti temporis defraudabo.

*Exercitium Voluntatis* ad hanc ipsam quartam quæstionem. Summas tibi gratias rependo amantissime Deus, quòd tamdiu me expectaveris, & non, ut alios tepidos multos, ex ore tuo evomueris. Omnia resarciam & obligationi meæ maximæ satisfaciam. Utut ab hominibus, nec quod timeam, nec quod sperem, habuero; Tibi serviam, quia dignus es, quantum potero.

*Exercitium Intellectûs* ad quæstionem quintam. Quæ media ad manum habeo, quibus hæc omnia executioni mandem? Ante omnia necessum est, ut servem





vem aliquem ordinem; quamprimum hunc desero, etiam à fervore deficio. Deinde diligens examen instituem, ac me interrogabo, quomodo obligationi meæ satisfaciam, proposita observem &c. in ipsa etiam sacra Confessione me accusabo, si quando aliquid ex tædio intermisero.


*Exercitium Voluntatis* ad hanc quæstionem quintam. O benignissime Deus! ago tibi etiam gratias pro subministratis selectissimis occasionibus tibi serviendi & præclaris mediis, quæ mihi in statu meo & loco habitationis suppeditas. O si istis non, ut decet, usus fuero, gravem olim rationem dabo.

*Colloquium.* O Patientissime Servator! fateor meam somnolen-

nolentiam & socordiam! severam meritis sum increpationem & poenam: sed cum tua gratia serio exurgam ad fervorem, & quam negligens fui haecenus, tamen ero diligens in posterum. Pater noster. Ave Maria.

*Reflexio supra factam meditationem.* Perquire omnia diligenter & responde ad quaestiones n. 114. propositas. Ad quaestionem primam forsitan non habebis, quod respondeas. Ad secundam invenies, quod tibi proposueris certum actionum tuarum tempus, ordinem, examen, & accusationem in Confessione. Ad tertiam dic: omnino, hodie adhuc, ab hoc momento executionem urgebo.

*Memoriale.* Pro renovanda memoria per diem saepius haec



verba mente & ore volvam :  
 Quia dignus est : hoc est , ma-  
 gnus Dominus , magnus Deus ,  
 magnus Benefactor meus dignus  
 est , cui quàm ferventissimè ser-  
 viatur. N. 115.

*Annotatio fructuum.* Agno-  
 vi summam meam obligatio-  
 nem DEO cum omni diligentia  
 serviendi. Agnovi etiam, quòd  
 longè minus fecerim, quàm  
 multi faciant servi dominis suis  
 temporalibus. Agnovi quoque,  
 quòd majori cum sollicitudine  
 & diligentia rem vilissimam cu-  
 raverim, quàm Salutem æter-  
 nam. Denique mihi proposui,  
 servare aliquem actionum mea-  
 rum ordinem, & eundem in  
 quotidiano examine perquirere  
 ac urgere.

Habes benigne Lector me-  
 ditationem supra prædictas in-  
 structiones institutam de Christo  
 in horto. Eandem rationem  
 etiam in aliis punctis  
 observa.

Omnia ad majorem DEI  
 Gloriam.



